

# INFALIBILIDAD DEL MAGISTERIO, REGLA DE FE Y FE ECLESIASTICA

por el Excmo. y Rvdmo. Sr. D. FIDEL GARCIA MARTINEZ  
Obispo titular de Sululi

**SUMMARIUM.**—1.º pars: *Infallibilitas revelata Magisterii ecclesiastici principium quoddam fundamentale est et, ut ita dicam, transcendens in systemate doctrinali Ecclesiae Catholicae; utpote regula suprema, viva et proxima nostrae fidei. In hac revelata infallibilitate formaliter includitur, sicut singularia in universali, infallibilitas omnium et singularum definitionum laudati Magisterii; et quoniam conceptus ipse analyticus seu formalis definitionis infallibilis est: Illa cujus doctrina est infallibiliter vera, Deus, revelans seu attestans infallibilitatem definitionis promulgatae, eo ipso necessario testatur veritatem doctrinae definitae. Unde, assensus praestibus huic doctrinae propter hoc Dei testimonium, verus est assensus fidei divinae; et theoria fidei dictae ecclesiasticae, quatenus negat hunc assensum fidei divinae, rejicienda est.*

2.º pars: *Theoria fidei ecclesiasticae, in ipsis solemnibus definitionibus Magisterii, duplicem distinguit speciem veritatum: alias formaliter a Deo revelatas et fide divina credendas; alias, nec formaliter a Deo revelatas nec, proinde, fide divina credibiles. Jam vero; cum ipsum Magisterium raro omnino nobis asserat —dato quod id aliquando asserat— veritatem definitam esse a Deo, praecisione facta ab ipsa ejusdem definitione, cujus vim attestativam divinam laudata theoria non admittit, formaliter revelatam; quis nobis docebit utrum haec revelatio formalis existat, necne; vel utrum propter testimonium Dei, aut ex alio motivo, veritas definita a nobis credenda sit? Spiritus privatus uniuscujusque fidelis? Theologi? Dato, et minime concesso, theologos in hac re concordem et certam normam credendi nobis praebere posse, inde primum erit consequens: supremam, vivam et proximam nostrae fidei regulam non esse jam Magisterium Ecclesiae; sed, —sic expresse asseritur—, "varia theologorum criteria". Hujus doctrinae logicae sequelae facile praevideri possunt.*